tum etiam, quia ſupra *numero quinquageſimo tertio*, latè probavimus inter religioſos regulariter non exigi hanc ſecretam monitionem. Et hæc concluſio vera eſt, etiamſi dubitetur, an ſuperior prudenter procedet, & tamquam Pater, quia in delictis contra bonum commune eſſe faciendam hanc denunciationem, non præmiſſa correctione fraterna, probavimus *num.* 50. Hæc autem ambilior eſt contra bonum commune, ut probavimus *num.* 56.

59 Hinc deducitur, teneri profeſſum ratione hujus voti, hujuſmodi ambitionem denunciare non præmiſſa correctione fraterna.

Probatur, quia ſe obligat ad denunciandum in quantum licitè poteſt. Cum ergo licitè poſſit, non præmiſſa correctione fraterna, tenebitur ad id ratione hujus voti. Quod etiam comprobat doctrina, quam tradunt *Angelus verb. denunciatio, numero decimo, & Sylveſter verb. correctio, quæſtione ſeptima*, ubi dicentes poſſe denunciari peccatum occultum immediatè Prælato, qui utilius creditur correcturus, ſubdunt eſſe obligatum ad ita faciendum, quando accedit præceptum ſuperioris. Ergo etiam idem dicendum eſt, quando accedit obligatio denunciandi ex voto.

60 Ultima concluſio. Si dignitatem ambientem certiſſimè conſtet plenè eſſe emendatum, ita ut nullum poſtmodum recidivi periculum probabiliter timeatur, nec ſit aliqua in futurum dependentia, & ejus delictum occultum ſit, non tenetur profeſſus ratione hujus voti eum denunciare. Ducor primò, quia delinquens ſic plenè emendatus non poteſt licitè denunciari Prælato, ut probavimus *numero quinquageſimoquarto*. Ergo nec votum poteſt obligare ad eum denunciandum. Et confirmatur, quia votum obligat inſtar legis eccleſiaſticæ de eadem re editæ: at lex eccleſiaſtica jubens delictum denunciari, non comprehendit delictum occultum omninò emendatum, tunc enim ceſſat finis, propter quem id præcipitur, qui eſt correctio fraterna, & evitatio damnorum, ut tradunt omnes. Ergo idem eſt dicendum de voto denunciandi. Secundò probatur ex ipſa voti formula ibi; *ſi quem ſciam procurare, vel prætendere*, quæ verba de illo ſolùm agunt, qui de præſenti aliquid hujuſmodi molitur: non ergo extendenda ſunt ad eum, qui omninò emendatus eſt. Dixi autem, quando peccatum eſt occultum, quia ſi peccatum fuit publicum, licèt emendatum fuerit, ſubeſt adhuc obligatio denunciandi, ut tradit *Sotus libro quinto, de juſtit. art. primo, ad finem corporis, verſic. & hinc ſumenda, & de ſecreto, membr. 2. quæſt. 6. dubio ultimo, poſt 2. concluſ.* Quod & communiter tenent Doctores in tractatu de denunciatione; quia tunc denunciatio non ordinatur ad ſolam emendam, ſed ad delicti punitionem, & ſatisfactionem eorum, qui ex delicto ſcandalum paſſi ſunt. Inſuper dixi, ſi nulla ſit in futurum dependentia; poteſt enim contingere, ut ambiens ſit plenè emendatus abſque relapſus periculo, & tamen ex negotiatione præterita res taliter diſpoſitæ maneant, ut certitudine morali præſumi poſſit fore, ut dignitatem aſſequatur, & tunc votum obligabit ad rem totam Societati, vel ejus Generali detegendam, ut impediatur dignitati conſecutio ambitiosè procurata, quod eſt finis, ut conſtaret ex *p. 10. conſtitut. §. 7.* Et confirmatur, quia ideò *§. 8. conſtitut. cap. ſexto §. ſecundo*, ubi agitur de Præpoſiti Generalis electione, præcipitur omnibus ſub excommunicationis latæ pœna, ut illos omnes denuncient, quos noverint tale munus affectaſſe, vel affectare, obligando tantum denunciare ſic ambientes ab obitu Generalis præteriti, uſque ad electionem præſentis; quia donec Generalis electus ſit, præſumitur dependentia ambitionis præteritæ quo ad ſuum effectum: quando autem dubium eſt, an plenè ſit emendatus, vel an ceſſarit omnino recidivi periculum, eſt utique denunciandus ſine præmiſſa correctione fraterna, quia id in omnibus delictis probavimus, *numero quinquageſimoſexto*, nedum in hoc, quod eſt contra votum commune.

SUMMARIUM.

Cur profeſſi Societatis promittant, ſi in Epiſcopos eligantur, audire conſilium Generalis, vel alicujus ab eo deputati? n. 61.
An ſint jam electi Epiſcopi ſubditi Generali Societatis JESU, aut teneantur audire, & ſequi ejus conſilium? num. 62.
An hoc conſilium ſit circa ſolam rectam Epiſcopatus adminiſtrationem? num. 63.

61 Ultimum votum ſimplex, quod emittunt profeſſi trium, vel quatuor votorum Societatis JESU, juxta ejus conſtitutiones, *p. 10. §. 6.* emittitur ſub hac forma. *Inſuper promitto, ſi quando acciderit, ut hac ratione in Præſidem alicujus Eccleſiæ promovear, pro cura, quam de anima mea ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo numero, ac loco habiturum Præpoſitum Societatis generalem, ut numquam conſilium audire detrectem, quòd vel ipſe per ſe, vel quivis alius de Societate, quem ad ipſe ſibi ſubſtituerit, dare mihi dignabitur; conſiliis verò hujuſmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint judicabo.* Cujus voti non ea eſt ratio, ut dicitur *eo §. 6.* quod profeſſus Societatis JESU creatus Epiſcopus ſit ſubditus alicui ſuperiori è Societate; eſt enim ab obedientia cujuſcumque ſuperioris, etiam Generalis exemptus, ſolique Papæ ſubditus, ut diximus generaliter de omnibus religioſis ad Epiſcopatum provectis *hoc. lib. 6. c. 6. num. 2.* ſed quia ſponte ſua ſe profeſſus obligat ad habendum conſiliarium, ejuſque conſiliis ſtandum, quando ea ad Dei obſequium magis conferre cenſuerit: eſt enim valde expediens in quocumque regimine bonos, prudenteſque viros, qui ſibi conſulant, habere, ut latè proſequitur *Philio lib. de creat. Principis, & Patricius lib. 6. de Regno, & Regiis inſtit. tit. 6.*

62 Hinc ſequitur, profeſſum Societatis ad Epiſcopatum promotum, quamvis non teneatur obtemperare Præpoſito Generali, vel alicui per eum deſignato, tamquam ſuperiori, teneri tamen audire conſilium Præpoſiti Generalis, vel alterius per eum deſignati, illudque ſequi, ſi melius eſſe judicaverit, quia id expreſsè in hoc voto promiſit.

63 Intelligitur autem hoc votum audiendi conſilium, illudque melius judicatum, ſequendi, non tantum circa adminiſtrationem redditum, & aliarum rerum ad Epiſcopale munus pertinentium, ſed etiam circa ſpiritualem propriæ perſonæ progreſſum. Conſtat, tum quia ſpiritualis hic progreſſus ad rectam ſubditorum gubernationem valde conducit; integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum, ut docet *D. Leo Epiſt. 85.* & refertur *c. miramur, 61. diſtinct.* tum etiam, quia formula votorum utrumque clarè explicat in illis verbis relatis *n. 61.* ibi, *pro cura, quam de anima mea ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo.*

EXPLICIT LIBER VI. DE VOTO SOLEMNI OBEDIENTIÆ.

LIBER SEPTIMUS DE VOTO PAUPERTATIS.

CAPUT PRIMUM.

De Poteſtate, quam Novitius, vel volens ingredi religionem, habet ad diſponendum per viam donationis, aut renunciationis de propriis bonis, attento jure antiquiori.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, num. 1.
An donatio facta à novitio, vel volente ingredi religionem ſit firma, non revocetur non ſequuta profeſſione, attento jure antiquiori, pendet in foro conſcientiæ ab ejus intentione, num. 2.
Quando de intentione hac non conſtat, ſtandum eſt in utroque foro præſumptioni fori externi, num. 3.
Qualis intentio præſumatur in dubio, ut ſic revocetur donatio, aut renunciatio profeſſione non ſequuta. Referuntur variæ ſententiæ, num. 4. & 5.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 6. 7. & 8.
Quid ſi ea donatio non fuerit facta principaliter, ſed acceſſoriè cum perſona, num. 9.
Quid ſi urgeant conjecturæ ad præſumendum donationem hanc abſolutè factam eſſe, num. 10.
An ſit hujus conjectura ſufficiens, quando non in ingreſſu, ſed ex intervallo eſt facta donatio? num. 11.
Quantum dicatur hoc intervallum, num. 12.
An nomine hujus ingreſſus intelligatur ſola profeſſio? num. 13.
An ſi donatio non fieret ipſi religioni, ſed alii? num. 14.
An exigatur, ut novitius exiens poſſit recuperare bona donata, ut proteſtatus ſit tempore donationis velle experiri religionem? num. 15.
Quid ſi uſus explicet donationem eſſe abſolutam? ubi de uſu oblationis, quem ſervant moniales apud Italos, num. 16.
Utrum ſicut prædicta donatio caſſatur egreſſu novitii, ita caſſetur ejus morte tempore novitiatus? num. 17.
An donatio hæc novitii poſſit revocari ab eo perſeverare volente in religione, num. 18.
An valeat donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum facta contemplatione ingreſſus in religionem? num. 19.

1 ANtequam de facultate diſponendi, quam habent profeſſi, diſputemus, tractandum eſt de facultate, quam habent novitii, aut volentes religionem ingredi; & cùm diſpoſitio hæc poſſit fieri donatione, aut teſtamento, inſuper aut circa bona temporalia, aut circa beneficia eccleſiaſtica, quæ poſſident, ſeorſum de his omnibus hoc capite, & duobus ſequentibus agendum eſt. Et quia nonnulla, quæ attento jure antiquiori vera erant, immutata ſunt per Concilium Tridentinum, prius dicemus quid jure antiquo verum eſſet; deinde quid jure noviori Tridentini immutatum ſit, explicabimus. In præſenti ergo tractandum eſt de donatione, ſeu renunciatione bonorum, quæ fit à novitio, vel volente ingredi religionem. In qua re triplex eſt quæſtio. Prima eſt de firmitate donationis hujus, quando novitius egreditur, aut ante profeſſionem moritur. Secunda de firmitate hujus donationis, quando profeſſus eſt, at profeſſio fuit irrita. Tertia de firmitate hujus donationis factæ in religione Sotietatis JESU.

2 Quæſtio prima. An donatio facta à novitio, vel volente in novitiatum ingredi, ſit omninò firma attento jure antiquiori, ita ut eo exeunte, vel moriente ante profeſſionem minimè revocetur? Punctus difficultatis hujus eo pertinet, an donatio hæc cenſeatur in dubio facta inter vivos, ac proinde ſit omninò irrevocabilis, an potius aſſimiletur donationi cauſa mortis, cenſeatúrque facta contemplatione profeſſionis, quæ mors mundana, & civilis eſt? atque adeo ſicut donatio facta mortis naturalis cauſa vim non habet, donec mors ſequatur, ita donatio hæc non ſit firma, nec aliter valeat, niſi ſequuta profeſſione. Et quidem quod ad forum conſcientiæ attinet, ſi conſtat intentionem donantis fuiſſe donare cauſa ſolius ingreſſus, pendet donationis firmitas ex profeſſione ſubſequuta, ac proinde novitio exeunti ſunt reſtituenda donata, quia videtur donaſſe cauſa mortis mundanæ, quæ ſubſequuta non eſt: & è contra, ſi conſtat donationem non intuitu ingreſſus factam, non recuperabit, cùm fuerit donatio pura inter vivos. Atque ita docent *Angelus verbo novitius, num. decimo, & ibi Tabiena quæſtione duodecima, num. 13. Armilla num. 16. Sylveſter verbo religio 4. q. 10. & verbo religio 5. q. 12.*

3 Quando autem de intentione hac non conſtat, ſtandum eſt præſumptioni juris in utroque foro, ac proinde in foro conſcientiæ id ſervandum eſt, quod in foro cauſarum in hoc eventu præſumitur, ut probavimus *lib. 1. hujus tractatus, c. 20. num. 12.*

4 Difficultas ergo eſt, qualis præſumatur hæc donatio in hoc dubio. Aliqui abſolutè docent, novitium exeuntem eam revocare non poſſe, ac proinde cenſere videntur aſſimilari donationi inter vivos, quia in dubio, ubi nulla mentio ſit mortis, præſumitur donatio facta inter vivos, ut tradit *Gloſſa* communiter recepta, *l. ſeræ. 42. in principio, verbo videri, ff. de mor. cauſ. donat.* per illum tex. *§. cum pater*, ibi; *cum autem, qui abſolutè donaret, non tam mortis cauſa, quam morientem donare.* Ubi *Gloſſa verbo morientem*, ait, eam donationem eſſe inter vivos, ut clarè decidit ille textus. Si ergo donatio à moriente facta præſumitur inter vivos, eo quod nulla mentio mortis facta ſit, ſimiliter præſumitur donatio inter vivos, & non cauſa mortis mundanæ facta, quæ fit à novitio, aut volente religioſum inſtitutum capeſſere, quoties non exprimitur eam fieri cauſa profeſſionis; ac ſubinde firma manebit, quamvis profeſſio non ſubſequatur. Atque ita docet *Gl. finalis in ultima ſolutione, c. quod à te, de clericis conjugatis, Hoſtienſ. c. in præſentia, nu. 14. verb. ſe, & ſua, de probationibus Morquechus de diviſione bonorum, lib. 4. c. 5. num. 34.* quod idem docere videntur *Ananias dicto c. quod à te, num. 6. Bertrandus conſ. 135. num. 1. volum. 3. in priori parte*, dum abſolutè docent, novitium exeuntem non recuperare hanc donationem, niſi contemplatione ingreſſus donarit.

5 Alii autem abſolutè docent; donationem hanc præſumi factam contemplatione ingreſſus, ac proinde profeſſione non ſubſequuta evaneſcere, quia quamvis alias nulla mentione mortis facta cenſeatur in dubio donatio inter vivos, ac irrevocabilis; at in hoc eventu præſumitur contemplatione ingreſſus in religionem facta propter actum proximum, & ideo ceſſare non ſequuta profeſſione. Atque ita docent *Hoſtienſis c. ſtatuimus, num. 4. de regul. & ibi Joan. Andreas num. 2. Anchar. n. 7. Anton. nu. 2. Abbas n. 4. Anan. nu. 6. idem Anton. c. quod à te, nu. 9. de clericis conjugatis, & ibi Joan. Andr. n. 7. Hoſtienſ. nu. 4. Anchar. nu. 9. Henr. num. 2. Decius cap. in præſentia, in nova editione n. 283. ibi Pariſius nu 187.* qui dicunt huic donationi ineſſe tacitam conditionem, ſi ſequatur profeſſio, & ſic ceſſare non ſequuta profeſſione, quaſi deficiente conditione. *Jaſon. authent. ſi qua mulier, nu. 60. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Natta conſ. 180. num. 5. vol. 1.* aſſerens donationem hanc cenſeri factam ex ingreſſu tamquam ex cauſa finali & ita eo ceſſante, ceſſare. *Gregor. Lopez l. 3. verb. puede titulo 7. part. 1. Hondedeus conſ. 73. num. 10. & 11. volum. 2. Manuel quæſtionum regul. tomo 2. quæſt. 80. art. 2.* & explicat *Ananias*, ſive donet omnia bona, ſive unam rem.

6 Cæterum placet media ſententia, ut non quæcumque hujuſmodi donatio cenſeatur cauſa ingreſſus facta, nec ejus firmitas pendeat à futura profeſſione, ſed quando donatio eſt notabilis, ut omnium bonorum, quod nulla ſit ratio probans, quamcumque modicam hujuſmodi donationem præſumi cauſa profeſſionis factam. At quando donatio eſt immenſa omnium bonorum, ratio ipſa cogit ad hanc præſumptionem capiendam: non enim veriſimile eſt, fore, ut quiſquam ſuis omnibus bonis ſe ſpoliaret, niſi cauſa profeſſionis religionis. Atque ita docent *Abbas cap. quod à te, num. 6. de clericis conjugatis, & cap. cauſam matrimonii, num. ult. de probation. Roſella verbo religio. 4. num. 11. Cardin. c. ſtatuimus q. 4. de regular. & dicto c. quod a te num. unico, oppoſ. 4. Sylveſter verbo relig. 4. q. 10. & verbo religio 5. q. 12. Angelus verbo novitius, nu. 10. Tabiena ibi, q. 12. nu. 13. Armilla n. 16. Surdus conſ. 333. num. 62. vol. 3. Azor. tomo 1. inſtit. moralium, lib. 12. c. 3. q. 3. in fine.*

7 Atque idem cenſendum eſt quando majoris partis bonorum donatio eſſet, quia amiſſio majoris partis bonorum æquiparatur amiſſioni omnium bonorum *capit. 1. de reſtitutione ſpoliatorum in 6. in fine principii, & l. propter litem, in princ. ff. de excuſ. tutoris* & ita notat *Abbas eo c. cauſam matrimonii, num. ultimo.*

8 Idem quando ille aliqua non modica donavit, quia non videtur in dubio aliqua notabili bonorum parte, ſe velle privare, niſi ob cauſam ingreſsus. Ita *Cardin. c. quod à te, num. unico, in oppoſ. 4. de clericis conjugatis.*

9 Hæc tamen ſententia eſt quadrupliciter temperanda. Primò, ut intelligatur quando dedicatio bonorum fuit expreſsè, & principaliter facta: nam ſi fuit tacitè, ſeu acceſſoriè, nullatenus ſubſiſtit, ſed in totum corruet, ſive ſit modica, ſive magna, ſicut probavimus *num.* 28. quando eſt ſequuta profeſſio, ſed invalida, etiam profitente conſcio nullitatis profeſſionis, nedum quando nulla prorſus profeſſio fuit ſequuta. Quando autem fiat hæc donatio acceſſoriè, & quando principaliter, dicemus *num.* 22. & duplici ſequenti.

10 Secundò temperatur, niſi vehementiores conjecturæ urgeant ad præſumendum donationem hanc abſolutè factam, & non contemplatione ingreſſus monaſterii, tunc enim conjecturæ illæ vincent, & præſumetur abſolutè facta, nec revocabitur profeſſione non ſequuta, quia una præſumptio eliditur per alias fortiores, *Menochius de præſump. lib. 3. præſump.* 132. *nu.* 84. *& lib. 2. præſump.* 21. *n.* 22. *& lib. 6. præſump.* 64. *num.* 45. Atque ita docent *Abbas c. cauſam matrimonii, n. ult. de probat. Roſella verb. religio 4. n.* 11. *Sylveſter verb. religio 4. q.* 10.

11 Hujuſmodi verò conjectura eſt, quando non in ipſo ingreſſus religionis puncto, ſed ex intervallo donatio hæc facta ſit, quippe intervallum illud coget præſumere eam non cauſa ingreſſus factam. Sic Abbas, Roſella, & Sylveſter *num. præcedenti* allegati; idem *Sylveſter religio 5. q. 12. nu.* 13. *Manuel q. regular. tomo 2. q. 80. art.* 2.

12 Quantum autem intervallum debeat eſſe ad hanc præſumptionem capiendam, non explicant hi Doctores; ſed *Abbas, Roſella, & Sylveſter numero decimo allegati* videntur exigere, ut in ipſomet religionis ingreſſu donatio facta ſit, ut præſumatur contemplatione illius facta, intervallum autem eſſe quando non in ipſo ingreſſu: quia dicunt, quando non in ipſo ingreſſus puncto, ſed ex intervallo. Sed *Ananias c. quod à te, num. 5. in fine de clericis conjugatis*, dicit, ſi ſtatim, vel modico tempore ante ingreſſum, cenſetur contemplatione ingreſsus. At *Manuel num. præcedenti* allegatus ait, quando longè ante ingreſſum donatio fieret, capi hanc præſumptionem, ut non cenſet, quando paucis ante diebus. Idemque, quamvis dubius, cenſet *Berous c. in præſentia, num.* 150. *de probat.* At exiſtimo intervallum hoc non metiendum juxta proximitatem ad tempus ingreſſus, ſed tunc dici in ipſo ingreſſus puncto factam, quando donans firmiter apud ſe ſtatuit religionem ingredi. Quia tunc cauſa ingreſsus, & utpote qui ſtatum paupertatis elegit, videtur ſe ſpoliare bonis. Quando autem dubium eſset, an poſt tale punctum, an potiùs ante donatio facta ſit, præſumitur ex proximitate ad ingreſsum facta poſt tale propoſitum, ut quando longè ante ingreſsum cenſebitur facta nondum eo propoſito concepto. Et ita intelligendi ſunt Doctores prædicti hanc præſumptionem ex proximitate ad ingreſsum ponderantes, ſicut in ſimili tractantes Doctores, quando teſtamentum in ſæculo factum, in quo religio inſtituta non eſt, cenſeatur revocari per ingreſsum religionis (ut referemus *c. tertio num.* 32.) dicunt, quando teſtans tempore teſtamenti cogitabat de ingreſsu, cenſeri velle religionem excludere: atque ita non revocabitur, ſecus quando non cogitavit. In dubio autem an cogitarit, necne, dicunt id præſumi ex proximitate, aut diſtantia ad ingreſsum.

13 Similiter non explicant hi Doctores, quid nomine ingreſsus intelligatur, an ſcilicet ipſa religionis profeſſio, quæ veræ, & cum effectu eſt religionis ingreſsus, an etiam ingreſsus in novitiatum. Sed exiſtimo eos quoque loqui de ingreſſu in novitiatum; atque ita dicendum eſt, ſumi hanc conjecturam, ut cenſeatur donatio facta contemplatione religioſæ vitæ, & ejus firmitas pendeat ex profeſſione ſubſequuta, quando facta eſt poſtquam donans propoſuit in ſæculo ad religionem tranſire; & præſumi hoc propoſitum, quando proximè poſt tranſiit, habitumque novitiorum ſuſcepit: quia tunc elegit vitam pauperem, & prætextu talis electionis bona deſerit, de illis diſponens, & ex tunc verè de religionis ingreſsu per profeſſionem deliberat.

14 Loquuntur etiam Doctores prædicti, quando donatio hujuſmodi fieret ipſi monaſterio. At idem clarè ſentiunt, quando donatio fieret cuicumque alii: quia eadem eſt ratio, nempe non præſumi quempiam cogitantem de religionis ingreſsu, velle ſe omnibus ſuis bonis, aut majori parte ſpoliare, niſi contemplatione ingreſsus. Atque ita *Berous, c. in præſentia, n.* 157. *de probationibus*, dicit idem de donatione facta cuivis Eccleſiæ nempè præſumi eam fieri contemplatione ingreſsus religionis, atque adeò ceſsari profeſſione non ſequuta.

15 Tertiò limitatur prædicta ſententia, ut donans omnia bona in ipſo ingreſsu, cenſeatur donare cauſa ingreſſus, & poſſit recuperare profeſſione non ſequuta, ut id intelligatur quando tempore donationis proteſtatus eſt ſe velle probare religionem, ſecus, ſi abſolutè donaſset: quippe præſumitur velle vitam mutare diſponendo ſic de bonis, & ita non poteſt exire tamquam tacitè profeſsus. Sic tradunt *Hoſtienſ. c. ſtatuimus, nu. 4. de regularibus, & ibi Joan. Andreas num. 2. Cardin. q. 4. Anchar. nu. 7. Anton. n. 2. Abbas num. 4. Gregor. Lopez l. 3. verb. puede, tit 7. part.* 1. Limitant *Anton. & Cardin.* ut cenſeatur profiteri, quando omnia, vel majorem partem bonorum donavit. Sed *Hondedeus conſ.* 73. *n.* 20. 21. *&* 22. *vol.* 2. dicit hoc non habere locum poſt Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15. de regular.* quod ad profeſſionis valorem petit annum novitiatus expleri. At reſtat difficultas, quid ſi finito novitiatus anno ea donatio facta ſit? Sed adhuc dicendum eſt, recuperaturum non ſequuta profeſſione, quia multo verius eſt animum mutandæ vitæ indicatum per habitus ſuſceptionem, & donationem etiam omnium bonorum, non inducere profeſſionem, ut benè probat *Ananias c. ſtatuimus, numer. 9. de regularib.* & nos *lib. 9. de matrimonio diſp. 33. numer.* 19. probavimus animum mutandæ vitæ cum habitus ſuſceptione non inducere profeſſionem, nec votum ſimplex religionis.

16 Ultimo limitatur, niſi uſus explicet donationem eſse abſolutam, ut apud Italos uſus increbuit, ut tempore, quo mulier in monialem recipitur, offerat ante altare certam quantitatem pecuniæ, dicendo; dono hanc in remiſſionem meorum peccatorum, vel Deo, ac Beatæ Virgini eam dono. Quæ donatio perfecta eſt, & abſoluta, atque adeo in nullo eventu revocatur, quamvis monialis illa novitiatus tempore retrocedat, ut benè docent *Petrus de Peruſio de mutatione ſtatus Eccleſiarum c. 1. in fine Manuel qq. regular. tomo 2. q. 47. art. 5. in fine.* Utrum autem hæc oblatio valeat poſt Tridentinum, dicetur infrà.

17 Utrum autem, ſicut prædicta donatio ceſsatur egreſſu novitii, ita ceſsatur ejus morte in religione intra annum novitiatus, dicemus *c. 3. num. ultimo.*

18 Tandem difficultas eſt, an donatio hæc facta contemplatione ingreſsus religionis, poſſit revocari ante profeſſionem ab ipſo donante? Videtur enim poſse, quia hucuſque diximus hujuſmodi donationem aſſimilari donationi cauſa mortis, quæ tamen ſemper ante mortem revocari poteſt, *l. non omnis, ff. ſi certum petatur.* Cœterum exiſtimo non poſſe, quia in hoc aſerunt Doctores aſſimilari donationi cauſa mortis, quod non maneat omninò firma, ſed revocetur profeſſione non ſequuta, ſicut donatio cauſa mortis expectat mortem naturalem, ut omninò firma ſit; non autem dicunt aſſimilari quo ad poteſtatem revocandi manendo in religione, quia ceſsat præſumptionis hujus ratio, dum religio non deſeritur, quæ eſt, ut remanens in ſæculo ſit bonis ſpoliatus. Præterea, quia hujuſmodi donatio præſumitur facta ſub conditione, ſi profeſſio ſequatur, ut tradunt omnes Doctores allegati, in hoc enim dicunt aſſimilari donationi cauſa mortis: at donatio conditionalis revocari nequit antequam conditio deficiat, ut diximus 1. *tomo de matrimonio lib. 5. diſp. 6. num.* 8. & quid ſimile de voto conditionalis diximus *lib. 4. hujus operis c. 22. num.* 14. Tandem, quia donatio à novitio facta intra duos menſes profeſſioni proximos, juxta decretum Tridentini *ſeſſ. 25. de regul. c.* 16. revocari non poterit ante profeſſionem, quamvis ipſo jure reddatur irrita proſſione non ſequuta ex deciſione illius textus. Ergo à fortiori revocari non poterit in hoc caſu, in quo ſolo ex voluntate præſumpta donantis revocatur ſolum, quando exit ante profeſſionem.

19 Ex omnibus dictis deducitur, valere donationem omnium bonorum præſentium, & futurorum à voluntate ingredientis religionem factam contemplatione ingreſsus, ut tradit *Ladeceſius conſ. 473. lib.* 1. quia habet tacitam conditionem, ſi profeſſio ſequatur, per quam tollitur libera teſtandi facultas, ſicut donatio cauſa mortis omnium bonorum præſentium, & futurorum valet, eo quod non adimat liberam teſtandi facultatem.

SUMMARIUM.

An hæc donatio reddatur quoque irrita attento jure antiquiori, ſi profeſſio fuit irrita in foro conſcientiæ, quando conſtat de intentione, & quando non conſtat, an ſtandum ſit præſumptioni juris? num. 20.

Quotuplex ſit oblatio bonorum facta ab ingrediente religionem, numer. 21.

Quando oblatio hæc ſit æquè principalis, & quando non acceſſoria perſonæ, num. 22. 23. *&* 24.

Quando profitens ignoravit profeſſionem non tenere; an valeat donatio, ſive facta ſit acceſſoriè, ſive æquè principaliter? numer. 25. *&* 26.

Quid quando dedicans bona, novit profeſſionem eſſe irritam? referuntur variæ ſententiæ, num. 27. *&* 28.

Explicatur ſententia Auctoris, num. 29. *&* 30.

20 QUæſtio ſecunda. An ſicut donatio contemplatione ingreſsus religionis facta redditur irrita profeſsione non ſequuta, ita quoque reddatur irrita, ſi profeſsio fuerit invalida? Et meminiſse oportet nos in toto hoc capite agere juxta deciſionem juris antiqui. Quid enim innovatum ſit per Tridentinum dicetur infrà. Et quidem, ſicut diximus *num.* 2. quando nulla emiſsa eſt profeſsio, ſtandum eſse in foro conſcientiæ intentioni donantis, ſi de ea conſtet, ita in hoc quoque eventu dicendum eſt. Atque ita docent *Angelus, Sylveſter, Tabiena, Armilla* ibi allegati. Quando autem non conſtat de intentione, ſtandum eſt in utroque foro præſumptioni fori externi, ut diximus etiam *num.* 3.

21 Ut autem ſciatur præſumptio fori externi, oportet præmittere duplicem eſse bonorum oblationem facta ab ingrediente religionem. Quædam eſt tacita, quæ nimirum inducitur ipſo jure per religionis profeſſionem per omnia profeſſi bona tranſeuntia in religionem una cum perſona. Alia autem eſt expreſsa, quando ſcilicet ingrediens donat expreſsè bona. Rurſus hæc oblatio bonorum expreſſa poteſt fieri dupliciter: priori modo tamquam acceſſoria, quæ vocatur à Doctoribus etiam tacita, quia eſt ſola expreſſio dedicationis, quæ tacitè ineſt eo modo, quo ineſt: poſteriori autem æquè principaliter cum perſona.

22 Quando verò dicatur æquè principaliter facta, & quando acceſſoriè, non conſtat inter Doctores. Quidam enim ſic diſtinguunt: ſi dedicatio bonorum exprimatur per dictionem (*cum*) eſt dedicatio acceſſoria, & ſic eo modo, quo tacitè inerat, ut ſi dicat ingrediens; offero me cum meis bonis: ſi autem exprimatur per conjunctionem (*&*) erit dedicatio bonorum æquè principalis, quia præpoſitio (*cum*) habet ſuaptè natura conjungere acceſſoriè, & non principaliter, ut *l. 1. & 2. ff. de peculio legato, & §. ſi quis ancillas inſtit. de legatis*, aptè probatur, ubi textus decidit ſervo legato cum peculio extingui legatum peculii, ſervo alienato, vel manumiſſo, vel mortuo: & reddit rationem, quod legatum peculii fuerit acceſſorium legato ſervi. Ergo dictio (*cum*) habet conjungere acceſſoriè. Et confirmatur, quia *l. 3. & 4. ff. eodem tit. & eo §. ſi quis ancillas*, dicitur, legata ancilla cum ſuis natis, deberi natos legatario, ancilla perempta, vel manumiſſa, quod ſint duo legata principalia ubi *Gloſ. eod. §. ſi quis ancillas, verb. extinguitur, & ead. l. 3. ſtatim in princ. & ea l. 4. fin.* dicit eſſe ſpeciale, ut (*cum*) ſumatur ibi pro, (*&*) atque ita utrumque legatum ſit principale, idque contingere propter hominis dignitatem, ne homo homini acceſſorius ſit. Ergo regulariter dictio (*cum*) habet conjungere acceſſoriè; dictio autem (*&*) conjungere principaliter; & *l. ſi cui fundum. 5. ff. de fundo inſtructo*, ubi idem diſcrimen ponitur inter hos legandi modos, lego fundum, & inſtrumentum, vel lego fundum cum inſtrumento. Atque ita docent *Bartolus authent. ingreſſi, in prima lectura nu. 14. & 15. in 2, nu. 30. & 31. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & l. 3. ff. ſi pendente appellatione, & l. 2. ff. de verborum ſignificatione, & dicta l. ſi cui fundum. Angelus eo §. ſi quis ancillas, & tractatu de maleficiis, verbo publicantis. Abbas capit. querelam, not. 2. de ſimonia. Jaſon ea authent. ingreſſi, num.* 39. 40. *& 41. Paulus nu. 20. Roſel. nu. 12. Imola cap. in præſentia, num. 33. de probationibus.*

23 Sed adverſus hanc diſtinctionem inſurgit *Decius* eam reprobans, *authent. ingreſſi, num. 23. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* aitque ſolam ſubjectam materiam eſſe conſiderandam, quia ſi res ex ſua natura venit æquè principaliter, ita veniet, ſive dicatur per (*&*) ſive per (*cum*) & ſi ſuaptè natura venit acceſſoriè, ita veniet utrovis modo dicatur. Probat *l. Titia textores, 36. §. nihil diſtat. ff. de legatis primo*, ubi deciditur nihil diſtare, utrùm ita legetur; Titio, & Mævio, an ita; Titio cum Mævio; utrobique enim eſt conjunctio in legatum, & *l. ſi quis inquilinus. 215. §. 1. verſ. ſi ita legatum*, ubi dicitur utrumque legatum eſſe, quando domus, & fundus, aut quando fundus cum domo legatur. Secundo, quia *authentica ingreſſi* dicitur ingredientem religionem ſe, & ſua dedicare, & tamen eſt certum non principaliter, ſed acceſſoriè, & tacitè venire ſua. Verùm his non obſtantibus non recedendum eſt à communi diſtinctione propoſita *num. præced.* nec obſtat *l. Titia §. nihil diſtat*, quia, ut diximus *num. præced.* id eſt ſpeciale propter dignitatem hominis; neque etiam obſtat *dicta l. ſi quis inquilinus verſ. ſi ita legatum*; nam reſpondetur cum *Gloſſa l. ſi cui fundum, 5. de fundo inſtructo, verb. nihil intereſt*, quantum ad hoc non eſſe differentiam inter utrumque legandi modum, quia ſemper utrumque eſt legatum. Eſt autem differentia, quia cum legatur per dictionem (*&*) utrumque eſt legatum æquè principale, ac proinde perempto altero, alterum debetur, at cùm legatur per dictionem (*cum*) eſt legatum acceſſorium, & perempto principali non debetur. Quæ quidem differentia eſt aperta in *ead. l. ſi cui fundum*, nam in illius principio dicitur, nullam eſſe differentiam ſive legetur fundus & inſtrumentum, ſive fundus cum inſtrumento; & in fine dicitur diſcrimen quoad extinctionem legati. Nec etiam obſtat *authent. ingreſſi*, quia, ut bene advertit *Jaſon. nu.* 39. ea verba ſunt Ernerii, qui male tranſtulit: nam *§. illud authent. de monachis*, unde deſumitur, tantùm dicitur, bona ſequi monachum.

24 Nec approbo regulam, quam tradit *Gloſſa ead. authen. ingreſſ. in 1. ſolutione*, ubi ait, attendendum eſſe verborum ordinem, ut ſi oblatio incipiat à rebus, eſſe expreſſam, & æquè principalem bonorum oblationem; ſecus, ſi incipiat ab oblatione perſonæ. Nam eam reprobat *Baldus authent. ingreſſi, n. 25. & ibi Paulus n.* 20. quia cùm oblatio perſonæ, ſit cauſa, & ablatio bonorum effectus, ſemper præcedit illa ſecundum ordinem rationis, quamvis ſecundùm verborum ordinem poſtponatur.

26 His ergo præmiſſis concordant univerſi Doctores, ſive dedicatio bonorum ſit tacita, ſeu expreſſa acceſſoriè ad perſonam, ſive fuerit expreſſa principaliter dedicationem non tenere, ſi dedicans bona ignoravit vitium profeſſionis. Ratio eſt, quia cum donatio hæc procedat ex errore cauſæ finalis profeſſionis, ratione cujus præſumitur facta in dubio, ut probavimus *n.* 6. caſſabitur ex falſitate cauſæ finalis, ſicut caſſatur quando non eſt aliqua profeſſio ſequuta, ut probavimus eodem *num.* 6. quia, ut dicemus *nu.* 28. *argumento* 2. idem eſt non eſſe actum, & actum eſſe nullum.

26 Eſt autem intelligendum hoc (quatenus diximus donationem bonorum facta tacitè, ſeu expreſsè, & principaliter, corruere quando profeſſio eſt nulla, ignaro profitente) cum eiſdem limitationibus, quas *n.* 7. & ſequentibus adhibuimus circa donationem corruentem ob non ſequutam profeſsionem, quia tunc perinde judicamus, ac ſi nulla prorſus ſequuta eſſet profeſsio; & non minus donatio hæc ſubſiſtet in caſibus, in quibus eſſet valida, ſi non ſequuta foret profeſsio, quam exiſtente hac profeſſione irrita. Et ita eodem modo limitat hoc *Abbas c. cauſam matrimonii, num. ult. de probat.* ſicut limitavit *num. 6. & ſequentibus* quando profeſſio non eſt ſequuta. Quando autem dedicatio bonorum non fuit principaliter, ſed acceſſoriè facta, tunc ſemper corruet exiſtente profeſſione invalida, ut *num.* 9. diximus.

27 Difficultas autem eſt, quando dedicans bona novit profeſſionem eſſe irritam. Qua in re triplex eſt ſententia. Prima docet valere dedicationem bonorum, ſive expreſsè, ſeu principaliter, ſive tacitè, ſeu acceſsoriè facta ſit. Ducitur, quia tunc dedicat bona per modum cauſæ, nempè profeſſionis; cum ergo norit cauſam eſse nullam cenſetur velle in omnem eventum ea bona donare, argumento *l. cujus per errorem, ff. de regulis juris.* Et ita docent *Jacobus Butrigarius authent. ſi qua mulier q. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Signorolus n.* 25. & uterque limitat, niſi dedicans appoſuiſſet conditionem, ut ſi ingreſsus non teneat, ei reddenda ſint bona.

28 Secunda ſententia docet ſemper eſse irrita bonorum oblationem, ſive principaliter, ſive acceſsoriè factam, quamvis profitens conſcius fuerit nullitatis profeſſionis. Ducitur primò quia cum ingrediens religionem reputetur ac mortuus *l. Deo nobis, C. de Epiſcopis, & clericis*, cenſetur quidquid donat, donare cauſa mortis, qua non ſequuta, donatio revocatur *toto tit. ff. de cauſa mortis donatione.* Secundò, quia cum donatio hæc fiat cauſa profeſſionis, ſicut ea non ſequuta revocatur, quaſi ceſsante ejus cauſa ita revocari debet, quando profeſſio ſequuta eſt, ſed fuit irrita: actus enim appellatione non venit actus, qui invalidus eſt; & quod nullum eſt, nullum producit effectum: & paria ſunt actum non eſſe, & eſse nullum, ut hæc omnia ex multis probavi *lib. 3. de matrim. diſput. 2. n.* 5. Tertiò, quia taciti, & expreſſi eadem eſt ratio, nec expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, aliquid operatur; *cap. ſignificaſti de electione, l. conditiones, quæ extrinſecus, ff. de conditionib. & demonſtrationib.* At quamvis ingreſsus religionem non exprimeret, ſe illi dedicare bona, eſsent tacitè dedicata per profeſſionem: ergo expreſſio illa nihil operatur. At tacita dedicatio nullum habet effectum, quando profeſſio eſt irrita, etiamſi profitens conſcius fuerit nullitatis, ut probabimus *nu. ſeq.* ergo nec expreſsa effectum aliquem habebit. Quartò, quia ſi donatio hæc non revocaretur vitiata profeſsione, concurrerent duo ſpecialia contra *l. 1. C. de dotis profeſſione.* Prius eſt, dominium acquiri abſque datione contra *l. traditionibus, ff. de acquirendo rerum dominio.* Poſterius, donationem induci per traditionem ex falſa cauſa contra *l. 2. C. de dotis promiſſ.* Quintò probatur ex *c. fin. 17. q. 2.* juncta *Gloſſa verbo, aut liberius*, ubi ſtatuitur monachum uxoratum revocari ab uxore cum omnibus ſuis bonis, eo quod profeſsio contra voluntatem uxoris non tenuerit. Tandem probatur ex *l. non ſolum, ff. de actionibus, & obligationibus*; ubi ſciens actum eſse impoſsibilem, non videtur habere animum diſponendi. Et hujus ſententiæ ſunt *Aretinus c. cauſam matrimonii, num.* 11. *de probat. Baldus authent. ingreſſi, n. 27. C. de ſacroſanctis eccleſiis, & ibi Dapia verb. ſua c. 11. nu.* 12. ubi addit uxoratum revocatum à religione cum ſuis bonis, quæ expreſsè religioni obtulit, eo quod profeſsio non tenuerit, fore tamquam uſufructuarium eorum bonorum, ac proinde teneri proprietatem reſtituere religioni, ſi liberos ex eo matrimonio non ſuſceperit.

29 Tertia ſententia, quam veram exiſtimo, ſic diſtinguit; ſi ingreſsus religionem dedicaverit tacitè, ſeu expreſsè, acceſsoriè tamen, caſsatur donatio profeſsione exiſtente irrita, quamvis nullitatis fuerit conſcius; ſi autem bona expreſsè, & principaliter dedit, manet firma donatio, ſi eum non latuit vitium profeſsionis. Probatur prior pars, quia quando eo modo fuit facta donatio, animus non fuit donandi principaliter, ſed acceſsoriè ad traditionem perſonę, ſed traditio perſonæ non ſubſiſtit; ergo nec donatio bonorum: acceſsorium enim naturam ſequitur principalis, *regul. acceſſorium, de regulis juris in* 6. Item, quia expreſſio illa acceſsoriè facta eſt ejus, quod tacitè profeſsioni inerat, & proinde nihil operari debet, ut diximus *nu. præced. argum.* 3. Sed tacita bonorum dedicatio, quæ profeſsionem ſequitur, eſt irrita, quando expreſsa profeſsio non ſubſiſtit: ergo ſimiliter hæc expreſsa acceſsoriè donatio erit irrita. Probatur autem poſterior pars, quia donans ex falſa cauſa; nec falſitatis ignarus, cenſetur donare, abdicatque à ſe dominium, transferens illud in donatarium, ut probavimus latè *lib. 6. de matrim. diſp. 2. num.* 5. qua ratione ibi probavimus donationem factam inter conjuges putativos valere, quando neutrum latuit nullitas matrimonii, nec teneri donationem reſtituere. Nec obſtant in contrarium adducta. Nam ad argumentum primæ ſententiæ relatum *n.* 27. conſtat ex probatione prioris partis hujus ſententiæ. Ad primum,

mum, & ſecundum ſecundæ ſententiæ relatum *num. præced.* reſpondeo, non præſumi donantem de morte cogitaſſe, nec cauſa profeſſionis donaſſe, cùm ſciverit ingreſſum non tenere. Ad tertium reſpondeo, expreſſionem ejus, quod tacitè ineſt, nihil operari quando fit eo modò, quo tacitè inerat, ſecus quando aliter fit, ut probavimus *lib. 3. de matrim. diſput. 32. nu. 4.* Et ideo quando donatio bonorum exprimitur acceſſoriè, quia exprimitur eo modo, quo tacitè inerat, nihil operatur: itaque vitiata principali profeſſione, vitiatur hæc donatio. At quando per ſe, & principaliter exprimitur donatio, exprimitur aliter quam inerat; tantùm enim inerat acceſſoriè: quare ejus valor non pendet à valore profeſſionis. Ad quartum reſpondet *Decius* ſtatim allegandus nullum ſpeciale concurrere, quia quæſtio hæc procedit de bonis traditis monaſterio, & eſto non eſſent tradita, non eſt ſpeciale, nec contra jus, conferri dominium abſque traditione, quando perſona donans in alterius poteſtatem tranſit, *l. ſi adoptavero ff. de precario*. Nec facta eſt donatio ex falſa cauſa, quia cum ille noſſet ingreſſum non tenere, non videtur reſpectu ingreſſus donare, ſed quia donare voluit. Ad quintum dic, in eo textu non fieri mentionem de uxorato, ſed de incognitis, qui triennio debent abſque profeſſione perſeverare, ut ſi apparuerint ſervi, revocentur ad dominium cum omnibus bonis: & quod dicit *Gloſſa* de uxorato intelligendum eſt, vel quando non expreſsè, ſeu principaliter contulit bona, ſed tacitè, & acceſſoriè, vel ſi contulit principaliter, ignoravit nullitatem profeſſionis; & aliter ea doctrina admittenda non eſt. Ad ultimum reſpondet *Decius c. cauſam matrimonii, in fin. de probationib.* eſſe ſpeciale in favorem religionis; ſicut eſt in ultima voluntate, ubi impoſſibilitas vitiatur, & non vitiat, *l. 1. ff. de condit. inſtit.* Sed meliùs reſpondetur, *l. citatam* non ſolùm procedere quando diſpoſitio fit ſub conditione impoſſibili; at dedicans bona per ſe, & principaliter, non videtur dedicare ſub conditione profeſſionis, nec dependenter ab illa; ſed quidquid ſit de illa, cenſetur habere animum donandi. Et ideo hujus ſententiæ ſunt *Antonius c. in præſentia nu. 42. de probationibus, Abbas cap. cauſam matrimonii, n. ult. eodem tit. & c. quod à te, nu. 6. de clericis non conjugatis, ubi Cardinalis nu. unic. oppoſit. 4. & ibi Anchar. fin. Ananias n. 6. Berous authent. ingreſſi, in prima lectura nu. 16. in 2. nu. 31. C. de ſacroſanctis Eccleſ. ubi Cynus nu. 11. Bellapertica q. 15. Albericus nu. 9. & 13. & 24. Jaſon*, licèt aliquantulum vacillans, *n. 45. Roſell. n. 12. idem Decius dicto cap. cauſam matrim. in nova edit. n. 20. & 23. Roſel. verb. relig. 4. n. 11. Sylveſter verb. relig. 4. q. 10. & verbo relig. 5. qu. ultima. Angelus verbo novitii n. 10. Tabiena ibi q. 12. n. 13. & ibi Armil. n. 17. & verb. novitius, n. 16. Pileus Modicenſis in ſuis quæſtionib. juridicis, q. 65. in fine.*

30 Temperandum tamen eſt quod diximus non revocari donationem expreſsè principaliter factam cum ſcientia nullitatis profeſſionis, ut intelligatur, niſi expreſſum ſit aliquid indicans animum non abſolutè donandi, ut ſi donans diceret, ſe donare ad propria alimenta. Sic *Antonius eod. c. in præſentia n. 24.*

SUMMARIUM.

Qualiter renunciatio bonorum, & hæreditatis futuræ fiat in Societate JESU *juxta ejus conſtitutiones, ſive tempore novitiatus; ſive poſt, & an ſit innovatum aliquid per Tridentinum? num. 31.*

An renuntiatione ante ingreſſum ſervanda ſit forma in conſtitutionibus præſcripta? num. 32.

An hæc renuntiatio habeat tacitam conditionem, ſi profeſſio ſequatur, ac proinde novitio, vel poſt vota biennii egreſſo ſint reddenda bona? referuntur probantia eſſe reddenda bona. num. 33.

Explicatur ſententia auctoris; reſolvuntur contraria, à nu. 34. uſque ad 36.

An renunciatio facta ante ingreſſum, abſoluta ſit? num. 37.

An hæc renunciatio confirmetur per vota biennii, vel per qua? numer. 38.

An Societas, cui hæc bona donata ſunt, nec ea reddens, teneatur donatarium ab ea exeuntem, vel expulſum alere? num. 39.

31 QUæſtio ultima. An renunciatio bonorum, quæ fit in Societate JESU, juxta ejus conſtitutiones, ſit omninò abſoluta, & minimè pendens à futura profeſſione, & proinde dimiſſus à Societate careat jure recuperandi ea bona, ſive ea Societati, ſive cuicumque alii donarit? Et primò dicendum eſt, quid præſcribant conſtitutiones circa hujuſmodi renunciationem: in examine, *cap. 4. §. 11.* præſcribitur, ut ingreſſuri in novitiatum Societatis JESU, debeant ante primum ingreſſum temporalia, quæ habuerint diſtribuere, ac renunciare, & diſponere de his, quæ ipſis obvenire poſſent, in opera pia, & ſancta, juxta propriam devotionem, & ſubmovendo à ſe omnem fiduciam ea aliquo tempore recuperandi: & §. 2. dicitur, ut ſi ſtatim ob aliquas honeſtas cauſas non reliquerit, promittant ſe promptè relicturos omnia poſt unum annum ab ingreſſu abſolutum, quandocumque per ſuperiorem eis injunctum fuerit & antequam ad profeſſionem, vel vota coadiutorium formatorum admittantur, diſpenſent prædicta bona in pauperes, vel alia opera pia pro ſua devotione. Subjungitur autem ibi, §. 3. ut ſi velint aliqua erogare conſanguineis, non aliter id efficere poſſint, quam interveniente judicio, & arbitrio duorum, qui vita, & doctrina commendentur, & ab ipſis eligantur, à ſuperiore approbentur, ne inordinato conſanguineorum affectu ducti in hac diſtributione errent. Et *3. p. conſtit. cap. 1. §. 7. lit. F.* explicatur, quorum bonorum renunciatio fieri debeat, his verbis: *Poſſeſſione ſuorum bonorum ſe abdicare, tam de propriis bonis intelligendum eſt, quam de jure, vel actione, quæ ei competit ad bona, quæ ſperat, ſive ſæcularia illa, ſive eccleſiaſtica ſint.* Quæ verba apertè includunt renunciationem hæreditatis præſentis, ſive futuræ, quam ſperant, cum contineat renunciationem omnium bonorum, jurium, & actionum, & hæreditas nil aliud ſit, quàm ſucceſſio in univerſum jus *l. nihil aliud ff. de verborum ſignificat.* Et quamvis aliquis poſſet prætendere nomine hujus ſperati, cui renunciandum eſt, non intelligi ſpem hæreditatis futuræ, juxta doctrinam, quam *cap. ſequenti* trademus, dicentem ſpem futuræ hæreditatis eſſe inanem, nec claudi ſub renunciatione cujuſcumque juris ſperati; at illa doctrina non obſtante, dicendum eſt in hac conſtitutione claudi, quod ex fine illius apertè colligitur: finis quippe eſt, ut religioſus Societatis JESU maneat omninò, & perfectiſſimè pauper abſque ullo ſuccedendi jure: quod minimè obtineretur, ſi jus parentibus, aut aliis conſanguineis ſuccedendi retineret, cum acquiſiturus eſſet dominium illius hæreditatis. Qualiter autem verè poſſit hæc renunciatio hæreditatis fieri viventibus parentibus ſine eorum conſenſu, dicemus *cap. ſequenti*. Hæc autem promiſſio diſtribuendi bona non eſt votum, nec ſolum propoſitum, ſed promiſſio ſimplex, ut declaratum eſt congregat. 3. generali Societatis JESU, can. 1. & quod quidem per Tridentinum non eſt correctum, ut dicetur infrà, & confirmatum eſt à multis Pontificibus, & ſpecialiter à Gregorio XIII. *in extravag. ſub aſcendente*.

32 Unde deducitur, novitios Societatis JESU ante ingreſſum in novitiatum poſſe de ſuis bonis diſponere quomodocumque voluerint. At jam novitii effecti non poſſunt aliter diſponere, quam dictum eſt, obſtante promiſſione ſimplici, qua in ingreſſu ligati ſunt ad ſic diſponendum. Sic docet *Molina tomo 1. de juſtit. diſp. 139. col. 4. verſ. novitii ante ingreſſum.*

33 Quo ſuppoſito, loquendo ſecundùm jus antiquum (nam an ſit aliquid innovatum per Tridentinum, dicetur infrà) videtur hujuſmodi renunciatio habere tacitam conditionem, ſi renuncians in Societate perſeveraverit, ac proinde, ut expulſo ſint reddenda bona. Primo, quia conſtitutiones Societatis, ut diximus *nu. 31.* eodem tenore loquuntur de renunciatione facta poſt vota biennii in Societate, quæ renunciantem conſtituunt verum religioſum, & de renunciatione facta tempore novitiatus. At hæ renunciationes habent eam tacitam conditionem, ſi renuncians perſeveraverit in Societate, ſaltem eo caſu, quo juxta dicta *nu. 6. & frequentibus*, renunciationes factæ in novitiatu aliarum religionum eam habent conditionem: nulla enim videtur major ratio de renunciatione facta in Societate. Ergo & renunciatio facta poſt vota biennii, habet eandem tacitam conditionem. Et confirmatur, quia ſimiliter eodem tenore loquuntur conſtitutiones de renunciatione futuræ hæreditatis facta in Societate. At hæc habet eam tacitam conditionem, dum renuncians permanſerit in Societate, ut conſtat: nam eo ipſo quo profitetur quiſpiam in ordine Minorum, cenſetur renunciare futuræ hæreditati, fitque illius incapax: & tamen ſi tempore mortis illius, cui ſucceſſurus erat, & à quo deferenda erat hæreditas, ſit legitimè ad alium ordinem, vel dignitatem translatus, & ſic capax ſucceſſionis, ſuccederet utique: ac proinde ea renunciatio habet tacitam conditionem, ſi renuncians in eodem ſtatu permanſerit. Ergo ſimiliter aliæ bonorum renunciationes habebunt eamdem conditionem. Tandem, quia *in conſtitutionib. Societatis JESU 2. p. capit. 3. §. 4. in fin.* dicitur ſic de dimiſſo à Societate; *ſecum omnia deferat.*

34 Prima tamen concluſio ſit. Renunciatio bonorum, quæ fit in Societate JESU juxta præſcriptum conſtitutionum, ſi fiat poſt vota (ut communiter jam fit) nullam habet imbibitam conditionem, ſed eſt omninò abſoluta, & irrevocabilis. Quare ſi ea facta ſit in favorem Societatis, non tenetur Societas dimiſſis ex ea reddere bona; quod optimè docet *Molina tomo 1. de juſtitia diſp. 139. colum. 3. verſ. illi, qui finito & col. 3. verſ. novitii ante ingreſſum*. Probatur primò, qui in examine *c. 4. §. 1.* dicitur de hac renunciatione ſic; *in pia, & ſancta opera fiat, juxta illud Chriſti: diſperſit, dedit pauperibus, & illud: ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Et *Gregor. XIII. in ſua extravag. aſcendente*, agens de eadem renunciatione, affert idem dictum Chriſti, *vade, & vende*, &c. dicitque hanc renunciationem fieri ad amplectendum id Chriſti conſilium: at diſtributio illa in pauperes, de qua Chriſtus loquitur, eſt omninò abſoluta, & irrevocabilis, & ſi revocabilis eſſet poſt Societatis egreſſum, non utique facta in pauperes, à quibus nulla ſpes recuperandi ſubeſt, & per accidens eſt, ut fiat in favorem Societatis, & ea ſolum ratione fit, quod ſit opus pium relinquere Societati, ſicut cuicumque religioni, vel Eccleſiæ, Ergo ſicut facta in alios pauperes irrevocabilis eſt, ita facta in Societatis favorem. Et confirmatur, quia renunciatio facta à novitiis in aliis religionibus, quæ juxta præſcriptum Tridentini

ſeſſ. 25.

ſeſſ. 25. de regularibus cap. 16. habet tacitam conditionem, ut tunc valeat irrevocabiliter, quando ſequuta eſt profeſſio, eamdem conditionem habet ſive fiat in religionis, ſive in cujuſcumque alterius favorem. Secundò, quia finis conſtitutionis jubentis eam renunciationem eſt, ut renuncians maneat verè pauper, ut ſic poſſit liberè Deo vacare; & ſic dicitur de hac renunciatione bonorum *capit. 4. §. 1. à ſe omnem fiduciam ſubmovendo eadem ullo tempore recuperandi*. At non maneat perfectè pauper, nec omni recuperandi ſpe, ac jure deſtitutus, ſi renunciatio hæc habet tacitam conditionem, ut ſolùm valida ſit, dum renuncians perſeveret in Societate. Sicut novitius renuncians in aliis religionibus, non efficitur verè, & perfectè pauper, nec ea ſpe prorſus deſtitutus, eo quod renunciationis illius firmitas pendeat ex futura profeſſione, ac jus, ſpemque habeat recuperandi ſi exeat, & jus hoc ſit pretio æſtimabile. Nec ſatis eſt dicere, renunciantem in Societate deſtitui ea ſpe, & fiducia quantum eſt ex parte ſua: quia hoc non ſufficit ad perfectam renunciationem, quam perfectio Evangelica poſtulat, nec ad perfectam paupertatem, cum revera maneat recurſus ad ea bona, & jus pretio æſtimabile ea recuperandi non ſequuta perſeverantia. Tertiò, quia *in conſtit. 3. p. capit. 1. §. 7.* cùm præſcribatur, quando ſuperior poſt primum novitiatus annum elapſum judicare debeat hanc renunciationem oportere fieri, dicitur ſic: *quando ſuperior judicans in hujuſmodi bonis tentationum occaſione, & minus proficiendi in ſpiritu habere aliquem, ut qui illis adhæreat aliquo immoderato amore, & confidentia.* At exiſtente renunciatione hac conditionali, manet adhuc tentationum occaſio, & immoderati amoris rerum temporalium, & confidentia recuperandi. Et confirmatur, quia ideo *Tridentinum ſeſſ. 25. de regular. cap. 16.* præſcribit, ut renunciatio novitiorum in aliis religionibus eſſet ſub tacita conditione, ſi profeſſio ſequatur, quia expedit libero novitiorum egreſſui conſulere; quæ libertas deficeret, ſi carerent ſpe recuperandi bona. At quando poſt vota biennii fit prædicta renunciatio (ut communiter jam fit) eſt valde neceſſarium occurri libertati, & facilitati petendi egreſſus è Societate, cùm ligati prædictis votis non ſint jam ſui juris, ſed teneantur perſeverare in Societate, ac ita vivere, ut occaſionem ſuæ dimiſſionis ex ea non præſtent. Ergo jure optimo credendum eſt, eam renunciationem non eſſe conditionalem, ſi renuncians perſeveret in Societate. Quippe qui cum illa recuperandi bona poſt exitum ſpe, non ita cautè vivere curabunt, ut perſeverare poſſint: & ſi noſſent omnibus ſe bonis deſtitutos, procurarent totis viribus perſeverantiam. Quartò, quia ſi renunciatio hæc non foret abſoluta, non oporteret maturum ſuperioris conſilium adhibere ad hanc renunciationem permittendam, & ſolis conſtantibus ſtabilibus in ſua vocatione eam permittere, ut præſcribitur Provincialibus, reg. 86. ſui officii. Nam ſi à vocatione poſtea deficerent, jus ſua bona recuperandi retinerent; ſicut eo maturo conſilio opus non eſt in renunciatione novitiorum in aliis religionibus, eo quod id jus retineant. Et confirmatur, quia *Gregorius XIII. in ſua extravag. aſcendente*, reddit rationem, cur in Societate ligati votis biennii retineant ad tempus dominium ſuorum bonorum, etſi non uſum, iis verbis; *ut majorem Societas habeat libertatem, illos ſi opus fuerit cum minori offenſione dimittendi.* At ſi renunciatio eſſet conditionalis, penderetque à perſeverantia, nulla eſſet difficultas in expulſione, nulla eſſet offenſionis cauſa, cum prædictis expulſis bona eſſent reſtituenda. Quintò, quia *in conſtitutionibus, part. 2. cap. 3. §. 5. in fine*, ubi ſermone facto de eo, qui à Societate dimittitur, ſic dicitur, *ſecum omnia ferat*, ea verba ſic exponuntur, *in declarationibus, litera B. Ea, quæ ipſius eſſe conſtat, difficile non eſt ſtatuere, ut ſecum ferat: verum in iis, quæ vel expendiſſet, vel dediſſet Societati, vel alioqui ſi accidiſſet, ut ficto animo in domo, vel Collegio ipſius habitaſſet, prudentiæ ſuperioris dimittentis relinquitur, ut habita ratione cum æquitatis, tum ædificationis, ſtatuat numquid illi aliquid amplius, quam quod invenitur de rebus ipſius, dari debeat, necne, & ſi amplius, quantum.* Ex qua declaratione clarè conſtat, dimiſſum laturum ſecum omnia, de quibus non diſpoſuerat donando Societati: & declaratio explicuit dicens, *omnia, quæ ipſius eſſe conſtat*. At quæ Societati donavit, jam non ſunt ſua. Et poſtea agens de iis, quæ Societati dedit, nihil diſponit, quod ad legem juſtitiæ attinet, quaſi ſupponens nulla juſtitiæ lege adſtringi Societatem ad ei aliquid reddendum, ut revera non adſtringitur. At attentis ſolis æquitate, & ædificatione, remittitur prudentiæ ſuperioris, num aliquid amplius, reddendum ſit, quam quod invenitur de rebus ipſius, id eſt, quas non expenderat, nec Societati donarat, quippe eæ ſolæ res ſunt ipſius. Tandem, quia *Gregor. XIII. in extravag. aſcendente*, interdixit gloſſas, ac interpretationes conſtitutionum Societatis, & inſtituti adhiberi, reſervans omnia dubia per Sedem Apoſtolicam, & Patrem Generalem noſtrum declaranda. At Pater noſter Generalis reſpondens ad poſtulatum congregationis Bethicæ provinciæ anni 1584. declaravit, renunciationem hanc eſſe abſolutam, & independentem à perſeverantia. Nec obſtant rationes contrariorum adductæ *nu. præced.* quia ad primum, & ejus confirmationem conſtabit ex dicendis duplici *num. ſequenti*. Ad ſecundum autem conſtat ex dictis in præcedenti ratione.

35 Secunda concluſio, Idem dicendum eſt de renunciatione, quæ fit in Societate poſt primum novitiatus annum ante vota biennii juxta Societatis conſtitutiones, & ea enim eſt abſoluta, & independens à perſeverantia: quare novitius ille a Societate reſiliens non habet jus ea bona, ſive Societati; ſive cuiquam alii donata, recuperandi. Quod benè tradit *Molina tomo 1. de juſtit. diſput. 139. colum. 4. verſic. novitii ante ingreſſum*. Et ratio eſt, quia quamvis ea donatio in aliis religionibus cenſeatur cauſa ſolius profeſſionis futuræ facta, & proinde dependenter à profeſſione, id ex ſola præſumptione eſt, quia nimirum talis præſumitur donantis animus: quare ubi de contrario animo conſtat, donatio eſt abſoluta, ut diximus *num. 2.* At in hoc caſu conſtat de contrario animo, quia novitius in Societate renunciat iis bonis in opera pia, juxta Societatis conſtitutiones, & ut impleat quod initio ingreſſus promiſit, nempè, omnia bona a ſe abdicaturum poſt primum novitiatus annum, quando ſuperior præſcripſerit. At conſtitutiones Societatis eo quidem modo loquuntur de renunciatione hac, ſive poſt vota biennii, ſive poſt primum novitiatus annum facta ex præſcripto ſuperioris, ut diximus *num. 31* & utraque dicitur ibi fieri abſque ulla prorſus recuperandi ſpe. Ergo utraque eſt abſoluta. Et hinc conſtat ſolutio ad primum argumentum, quod contra hanc concluſiomem pugnat, propoſitum *num. 33.*

36 Tertia concluſio. Idem dicendum eſt de renunciatione legitimæ parentum ſuperſtitum, quæ juxta conſtitutiones fieret poſt primum novitiatus annum, aut vota biennii, quia conſtitutiones eodem etiam modo de hac renunciatione loquuntur, diximus *num. 31.* Nec obſtat confirmatio primi argumenti adducti *num. 33.* quæ contra hanc concluſionem pugnat, quia eſt diverſa ratio de renunciatione, quæ tacitè fit eo ipſo quod quiſpiam in religione Minorum profitetur, quia ea non fuit renunciatio expreſſa in favorem alicujus, cui jus acquiſitum ſit, ſed ſola tacita ob admiſſionem ſtatus incompatibilis. Quare habet tacitam conditionem, niſi ante declarationem, & conſequenter antequam ex illa alicui jus acquiratur, renuncians fiat capax. At in noſtro caſu eſt renunciatio expreſſa in favorem ejus, cui per illam jus acquiſitum eſt.

37 Quarta concluſio. Si volens ingredi novitiatum Societatis, vel tempore novitiatus renunciaret, aut ſua bona donaret, non juxta Societatis conſtitutiones, conſtituentes, ut non niſi poſt primum novitiatus annum, & ex præſcripto ſuperioris fiat renuntiatio, judicandum eſſet de hujuſmodi renunciatione, ac de ea, quæ fit contemplatione ingreſſus in alias religiones. Quare ſicut hæc pendet à futura profeſſione, & proinde bona recuperantur à novitio egrediente, juxta dicta *num. 6.* & ſequentibus, ita & illa. Ratio eſt, quia de neutra eſt major ratio, cum ſola renunciatio facta in Societate JESU juxta ejus conſtitutiones habeat vim abſolutæ donationis, quod ita in conſtitutionibus illis præſcribatur, atque ita, quæ non fit juxta conſtitutionis præſcriptum, carebit ea abſolutæ donationis virtute, & ubi de contrario donantis, aut renunciantis animo non conſtat, cenſetur in dubio facta pendenter à profeſſione ſubſequuta, ſicut in aliis religionibus contingit.

38 Quinta concluſio. Hujuſmodi donatio, ac renunciatio facta non ſecundùm conſtitutiones Societatis JESU, non confirmaretur per ſola biennii vota, ſed per ſola vota coadjutorum formatorum, aut profeſſorum; quare renuncians egreſſus è Societate poſt ſola biennii vota, recuperaret ea bona in iis caſibus, in quibus *num. 6. & ſequentibus* diximus eum recuperaturum, ſi in reliquis religionibus egrederetur anno novitiatus. Ratio eſt, quia quamvis per ea vota biennii efficiatur ea emittens verus, & perfectus religioſus, at non abdicat à ſe dominium, & jus ad bona, ſed ſolum uſum, donec vel ei dominio, & juri renunciet, vel vota coadjutorum formatorum, aut profeſſionem emittat: ergo antea non redditur abſoluta omninò donatio. Quare, ut prædicta donatio ſit omninò perfecta, & abſque ſpe recuperandi, perinde ac ſi tunc fieret profeſſio, debet donatio illa fieri juxta conſtitutiones Societatis non poterit autem donatio hæc revocari, ſi novitius ille non egrediatur à Societate, ſicut de donatione ab ingredientibus alias religiones facta, diximus *num. 18.*

39 Ultima concluſio. Si donatio ingredientis Societatem, fieret in ejus favorem, quamvis ea facta ſecundum conſtitutiones ſit abſoluta, ac proinde nihil ex ea reſtituendum ſit renuncianti egreſſo, aut dimiſſo à Societate, tenetur tamen Societas; ſi donans egenus ſit, præſtare ei alimenta, alioquin integrum erit donatori revocare, donationem ratione ingratitudinis, quia donatarius tenetur alere donantem egentem, alias poterit revocari donatio, ut multis allegatis tradunt *Lara l. ſi quis à liberis §. idem Judex num. 58. & 59. ff. de liberis agnoſcendis, Julius Clarus libr. 4. receptarum, §. donatio q. 21. n. 3. Surdus de alimentis, tit. 1. q. 48. à n. 1. uſque ad 7.* qui optimè cum aliis per ipſum citatis hoc limitat *numer. 7.* quando donatio eſt omnium bonorum, vel majoris partis, per quam donator efficitur pauper; & *num. 8.* benè probat cum aliis alimenta hæc præſtanda pro rata fructuum rei donatæ, & optimè etiam *num. 15.* limitat cum aliis, niſi donans habuiſſet alimenta ab aliquo tertio: quia cum hoc caſu non debeantur alimenta jure actionis, ſed officio Judicis, ceſſat obligatio, ſi donator habuerit alimenta à tertio. Et hinc quoque ergo infero durare hanc obligationem

tam-

tamdiu, quamdiu neceſſitas donatoris duret. Quare donatore poſtea conſeqente beneficium aliquod eccleſiaſticum, vel bona aliqua, quibus ali poſſit, ceſſabit hæc obligatio: quod ſi bona conſecuta non ſufficiant ad integra alimenta, diminuetur obligatio donatarii ad alendum, ſicut de aliis obligationibus ſubſidiariis, ut filiorum ad alendos parentes, tradunt auctores.

CAPUT II.

Qualiter valeant renunciationes legitimæ parentum, & aliorum bonorum factæ in Societate JESU, quando fiunt abſque parentum conſenſu in favorem ipſius Societatis, vel cujuſcumque operis pii.

SUMMARIUM.

Explicatur quæ difficultates ingerant, & quot quæſtiones diſputandæ ſint? num. 1.
Pacta futuræ hæreditatis an valeant? num. 2.
Quid ſi pactum non ſit de tota hæreditate, ſed de ejus parte, ac de re particulari? num. 3.
An intelligantur donatio, hypotheca, & quicumque alius contractus? num. 4.
An hæreditas futura poſſit hypothecæ ſubjici, vel comprehendatur ſub generali bonorum hypotheca? num. 5.
An valeat pactum, ſive ſit de dividenda hæreditate viventis, ſive de deferenda, ſive donanda alteri? num. 6.
An valeat pactum, ſive ſit de ſuccedendo, ſive de non ſuccedendo? num. 7.
An poſſit quiſpiam teſtari de hæreditate, quam ſperat, an hæc ſpes dicatur in filiis probabilis, & in jure conſiderabilis, & renuncians omnibus juribus, quæ ſperat, cenſeatur huic renunciare? num. 8.
An ſpes hæc ſuccedendi in filiis dicatur aliquo reſpectu probabilis? num. 9.
An dicatur probabilis, quando ex ejus diſpoſitione non inducitur votum captandæ mortis? num. 10.
An pactum filiorum circa hæreditatem parentum valeat? num. 11.
Quid de pacto parentum circa hæreditatem filiorum? num. 12.
Quid de pacto extraneorum circa hæreditatem, quam ſperant? num. 13.
An, & cur valeant pactum circa futuram ſucceſſionem de conſenſu ejus, de cujus hæreditate tractatur, & qualiter is conſenſus ſit revocabilis? num. 14.
An ſufficiat revocatio tacita hujus conſenſus, illaque præſumatur? num. 15.
An ex hoc conſenſu aliquod jus acquiſitum ſit paciſcentibus? n. 16.
An ſi conſentiens juravit non ſe revocaturum, ſit perjurus revocando, & teneat factum, ita ut paciſcentes maneant liberi? num. 17.
Quid ſi ipſi paciſcentes juraſſent? num. 18.
An non obſtante hoc paciſcentium juramento, liceat conſentienti revocare conſenſum? num. 19.
An valeat pactum, ne is conſenſus revocari poſſit, etiam pretio dato, & ea promiſſio obliget? num. 20.
An dum conſentiens non revocat conſenſum, maneant paciſcentes obligati, & ita neutri reſilire liceat? num. 21.
Quid ſi non juraſſent contractum? num. 22.
An ſi fratres conveniant de ſtando teſtamento patris, vel diviſioni, quam ipſe fecerit, de conſenſu patris poſſint reſilire patre decedente? num. 23.
An his conſenſus indigeat quinque teſtibus inſtar ultimarum voluntatum? num. 24.
An ſufficiat conſenſus tacitus ejus, de cujus hæreditate agitur? refertur quædam ſententia, num. 25.
Explicatur ſententia Auctoris? num. 26.
An ſit neceſſe cum conſenſum præmittit contractui? refertur quædam ſententia, num. 27.
Explicatur ſententia auctoris, num. 28.
An ſufficiat is conſenſus ſuperveniens, quando contractus ſub conditione ejus conſenſus celebratus eſt? num. 29.
Quid ſi conſenſus initio adfuit, & poſtea revocatus eſt, & tandem confirmatus? num. 30.
Quid ſi pactum ſit de hæreditate perſonæ incertæ? num. 31.
An pactum hoc hæreditatis viventis confirmetur juramento? refertur quædam ſententia, num. 32.
Explicatur ſententia auctoris, num. 33.
An ſaltem non obſervans id juramentum ſit perjurus? refertur quædam ſententia, num. 34.
Explicatur ſententia auctoris, num 35.
An poſſit dari relaxatio hujus juramenti? num. 36.
An habeat locum ea deciſio in foro conſcientiæ? & explicatur quando lex præſumptione nitens habeat locum in foro conſcientiæ, n. 37.
An valeat id pactum, ſi eſt ſtatutum, & conſuetudo, ut valeat, poſſitque Princeps id efficere? num. 38.
An valeat pactum futuræ ſucceſſionis, favore piæ cauſæ? refertur quædam ſententia, num. 39.
Explicatur ſententia auctoris, num. 40.
An valeat pactum hoc hæreditatis, quando non venit hæreditas viventis principaliter, ſed acceſſoriè, & ſub quadam univerſitate? num. 41.
An pactum initum de hæreditate viventis, & de alia re, quæ in pactum deduci poteſt, ſit validum pro hac poſteriori parte? n. 42.
An valeat pactum hoc hæreditatis viventis, quando venit in conſequentiam alterius contractus liciti neceſſarii? num. 43.

1 Quæſtio hæc ſatis difficilis eſt, & dependet ex intellectu textuum *l. finalis, C. de pactis*, & *l. hæreditas C. de pactis conventis*, quorum prior decidit, non valere renunciationem hæreditatis perſonæ viventis abſque ejus conſenſu. Poſterior autem decidit, hæreditatem ſolemni teſtamento, & non alias dari poſſe, quibus renunciatio hæc ex diametro adverſari videtur, cùm ſit renunciatio totius patrimonii per pactum irrevocabile, & hæreditatis parentum viventium abſque eorum conſenſu. Ut ergo clarè procedamus, triplex erit quæſtio: Prima circa intellectum *l. finalis C. de pactis*, & qualiter irrita ſit renunciatio, aut quodvis aliud pactum circa hæreditatem tertiæ perſonæ viventis. Secunda circa intellectum *l. hæreditas C. de pactis conventis*, qualiter hæreditas poſſit pacto dari. Tertia, an renunciatio hæreditatis, quæ fit à religioſis Societatis JESU juxta præſcriptum conſtitutionum, valeat, quando fit abſque conſenſu eorum, quibus ſuccedendum erat.

2 Prima quæſtio ſit circa deciſionem *l. finalis, C. de pactis, & l. reg. 13. tit. 5. p. 1.* in quibus deciditur, omne pactum, donationem, diſpoſitionem, obligationem, vel ſubjectionem hypothecæ circa hæreditatem tertiæ perſonæ videri eſſe ipſo jure irritam, & contra bonos mores, niſi fiant cum conſenſu illius perſonæ tertiæ, & in eo conſenſu perſeveret uſque ad mortem. Itaque, ut ea pacta, vel diſpoſitiones valeant, duplex exigitur conditio prior, ut conſentiat is, de cujus hæreditate agitur]: poſterior, ut in eo conſenſu uſque ad mortem perſeveret; & alterutra conditione deficiente corruunt pacta. Et uterque textus eam hujus prohibitionis rationem reddit, quia non accedente hoc conſenſu, datur cauſa captandæ mortis ejus, de cujus hæreditate agitur, ut illi ſuccedatur, & pacta illa ſuum effectum conſequantur. Quæ ratio jure quoque canonico approbata eſt *cap. 2. de conceſſione præbendæ & cap. ne captandæ, eodem tit. in 6.* ubi interdicitur promiſſio; vel collatio præbendæ nondum vacantis alicujus determinatæ perſonæ, ne captandæ alienæ mortis occaſio tribuatur.

3 Quæ quidem deciſio ampliatur primò, etſi pactum non ſit de tota hæreditate, ſed de ejus parte, tum quia *l. finalis C. de pactis*, ſimpliciter irritat pactum de re aliena, in quam poſt mortem ſuccedendum eſt: tum etiam quia, cum prohibitionis eadem ſit ratio (nempe periculum captandæ mortis) in parte, quæ eſt in tota, idem jus debet eſſe in parte, quod eſt in tota *l. quæ de tota, ff. de rei vindicatione*. Atque ita docent *Gloſſa in d. l. finali verb. declarabatur, & ibi Alciatus n. 33. Purpurat. n. 34. in fin. & 35. Bolog. nu. 58. Menchaca de ſucceſſion. creatione, lib. 2. §. 18. num. 227.* Immò ob eamdem rationem idem dicendum eſt, etiamſi pactum ſit de ſpecie aliqua, aut re particulari illius hæreditatis: neque obſtat *l. ſi rem meam, ff. de verb. obligat. & l. ſi rem alienam ff. de contrah. emption.* quia illa jura loquuntur, quando ex alia cauſa, quam ex ſucceſſione alterius poteſt acquiri, vel quando generaliter conſideratur omnis acquirendi cauſa: at hic textus ſolùm prohibet pactionem, quando quis ſperat habere rem per ſucceſſionem ex morte alterius. Neque obſtat etiam poſt mortem inſtantia de inutilibus ſpiritualibus ſtipulationibus, quia ille textus loquitur de morte promiſſoris, & ſic quando conventio facta eſt cum eo, de cujus bonis agitur, vel ſi loquatur de morte tertii, pactum non fuit initum de illius tertii, ſed de paciſcentium bonis. Atque ita docent *Bolog. ea l. finali n. 34. 58. & 67. Alciatus n. 33. Purpur. n. 98. Cagnol. antiqua editione, n. 96. 97. nova n. 60. 61. Corneus conſ. 84. n. 4. vol. 3. Menchaca eod. n. 227. Seraphin. de privil. juramenti, privil. 20. nu. 9.* Quare audiendi non ſunt *Gozadinus conſ. 87. n. 17. Bergius conſ. 28. n. 14. vol. 1.* docentes valere id pactum de re particulari.

4 Secundò ampliatur, ut procedat de quocumque contractu, ut de donatione, ſtipulatione, hypotheca; nil enim horum poteſt fieri circa hæreditatem tertiæ perſonæ viventis, quia textus *dicta l. final.* generaliter loquitur de quocumque contractu, utens dictione, *quicumque* quæ univerſalitatem quandam includit, ut vel ſic comprehendat etiam contractus impropriè ſumptos. Atque ita docent *Purpur. ea l. finali n. 33. & ibi Bolog. n. 33. in fine, & 65.* & addit *eo n. 33.* ſive ſit contractus principalis, ſive acceſſorius.

5 Hinc deducitur, licèt quis poſſit obligare generaliter omnia ſua bona præſentia, & futura, atque ſubinde in ea generali hypotheca contineantur, quæ ex viventis hæreditate ad ſe inde pervenerint, non poſſe eum tamen ſpecialiter hæreditatem futuram hypothecæ ſubjicere: hanc enim hypothecam expreſsè interdicit *ea l. finalis*. Et ratio differentiæ eſt, quia, quando generaliter obligantur omnia bona præſentia, & futura, eſt pactum ſuper hæreditate incertæ perſonæ, ſecus quando hæreditas ſpecialiter obligatur. Atque ita docent *Alexand. ea l. final. num. 2. Jacobinus de Sancto Georgio ibi, num. 10. Jaſon num. 14. Altiatus nu. 45. Cagnol. antiqua edit. n. 120. in fin. & 103. nova. n. 66. Bolog. n. 45.*

6 Rurſus

6 Rurſus deducitur, non valere hujuſmodi pactum, ſive ſit de dividenda hæreditate viventis poſt ejus mortem, ſive de deferendo alicui agatur, ſive de donanda alicui, vel quævis alia conventio fiat; quia dicta lex finalis quamcumque pactionem irritam reddit: & ita docet *Cagnolus ibi, antiqua edit. n. 43. nova n. 29. Alciatus n. 55. Bolog. n. 57. Craſſus de ſucceſſ. ex teſtam. vel ab inteſtato §. ſucceſſio ab inteſt. q. 9. n. 6.* Valeret tamen id pactum, ſi filii generaliter convenirent, ut decedente patre ab inteſtato, ejus hæreditas inter ipſos juxta legum præſcriptum dividatur æquis portionibus, quod id pactum tacitè inſit. Sic *Alciatus ea l. finali nu. 29. Menchaca de ſucceſſ. creatione l. 2. §. 18. n. 264.* qui benè addit, ſecus eſſe, ſi id pactum irritetur caſu, quo etiam pater cum teſtamento decederet, quia id pactum non ineſt juri.

7 Tertiò ampliatur deciſio *prædicta l. finalis*, ut procedat, ſive pactum ſit de ſuccedendo, ſive de non ſuccedendo, cum fratribus initum ſuper hæreditate parentum viventium, quia ejuſmodi non ſuccedendi pactum, ſi effectum conſideremus, eſt pactum de ſuccedendo, ſive de certo quodam modo, quo futura viventis hæreditas diſtribuenda ſit, ita ut in illius diviſione nullam partem habeat renuncians, ſed cæteris fratribus accreſcat: & hoc initur abſque conſenſu patris, de cujus hæreditate tractatur, Atque ita docent allegatis *Romano, Alex. Decio, Aretino, Bolognetus ea l. finali nu. 11. 57. & 59. Guido conſ. 162. nu. 2. Fulgoſ. conſil. 73. dub. 1. Covar. cap. quamvis pactum 3. in princip. n. 7. verſ. cæterum. Suarez l. quoniam in prioribus limit. 5. ad legem regni, nu. 3. Anton. Gomez l. 22. Tauri nu. 31. Menchaca controv. uſu freq. lib. 3. cap. 44. num. 2.*

8 Quartò ampliatur deciſio *prædicta l. finalis*, ut neque in teſtamento poſſit quiſpiam diſponere de hæreditate, quam ſperat. Ducor primò ex verbis generalibus illius *l. finalis, in fin.* ibi, *cum in alienis rebus contra domini voluntatem aliquid fieri, vel paſciſci ſecta temporum noſtrorum non patiatur*. Item, quia à contractibus ad teſtamenta, & è contra valet argumentum, quando in utriſque eadem eſt ratio, ut ex multis probat *Everardus in ſuis topicis, loco 36. à contractibus ad ultimas voluntates nu. 1. & 2.* At in teſtamento militat eadem ratio, cum diſponatur de re aliena abſque conſenſu ejus, cui ſuccedendum eſt, & ſubſit periculum, ne inſtitutus in eo teſtamento inſidietur vitæ illius, in cujus hæreditatem ſucceſſurus eſt virtute hujus teſtamenti. Præterea, quia ſi de hæreditate viventis liceret via teſtamenti diſponere, ſpes illius hæreditatis non diceretur vana, & nullius conſiderationis in jure, & apud Doctores, ſed maximæ conſiderationis eſſet, maximique effectus: at dicitur fatua, improbabilis, & vana, nulliuſque conſiderationis, etiamſi ſpes ſit, quam habet filius ſuccedendi in parentum ſuorum legitimam, tum quod jura nolint de hac quoquomodo tractari, dum ſuperſtites ſunt parentes, vel alii, quibus ſuccedendum eſt; tum etiam quod pendeat ex voluntate parentum ſucceſſio illa: quamvis enim filii ſint neceſſarii hæredes legitimæ tempore mortis relictæ, at poſſunt parentes, dum vivunt, ea bona dilapidare, ut notatur *l. in ſuis ff. de liber. & poſthum.* ac proinde nulla ſupererit legitima. Atque ita hujuſmodi ſpes vana, jure reprobata, & nullius conſiderationis jure appellatur *Bart. l. 1. §. ſi impuberi nu. unico ff. de collatione bonorum, & l. ciendum in princip. nu. 12. ff. qui ſatiſdare cogantur, & l. finali nu. 2. ff. de peculio legato & l. poſt emancipationem §. illud nu. 1. de liberatione legata, & l. qui Romæ, §. duo fratres, n. 19. ff. de verborum obligat. & l. fin. in 1. lectur. nu. ult. C. de pactis, ubi Bald. num. 3. Paulus n. 2. Corn. nu. 1. Cagnolus antiqua editione, à n. 230. uſque in fin. nova, à n. 134. in finem Purpurat. n. 238. Curtius ſenior à nu. 2. uſque ad 6. Gozadinus n. 4. Roman. n. 10. Monteroſus n. 3. Imola dicta l. qui Romæ, §. duo fratres, n. 30. & ibi Alexand. num. 35. ad finem, Jaſon authent. ſi qua mulier. nu. 53. C. de ſacroſanct. Eccleſiis, & l. is poteſt, à num. 16. ff. de acquirenda hæreditate. Alciatus* vocans cum Platone per ipſum allegato, hanc ſpem ſomnium vigilantium, *l. conditionales, verb. qui ſpem. ff. de verborum ſignificatione, & l. 1. n. 15. C. de pactis, Matth. de Afflictis deciſ. 350. n. 4. Grammaticus deciſ. 101. n. 66. Alban. conſ. 66. n. 4. Menchaca quæſt. illuſtr. lib. 1. cap. 48. n. 24. & de ſucceſſ. progreſſ. lib. 1. §. 8. num. 13. Cephalus conſ. 526. à nu. 66. uſque ad 88. vol. 4. Riminaldus junior conſ. 199. nu. 62. vol. 2. Peregrinus de fideicommiſſ. art. 23. nu. 52. Anton. de Petra q. 15. n. 104. Gutier. qq. canon. lib. 2. c. 1. n. 55. & q. pract. tomo 2. lib. 3. c. 42. n. ult. & q. 55. n. 28. Bertazzolus conſ. 57. à n. 4. uſque ad 10. lib. 1. & conſ. 56. n. 98. & 99. & conſ. 55. n. 25. 26. & 27. eod. lib. Decius conſ. 34. n. 17. & conſ. 74. n. 5. vol. 1. Hondedeus conſ. 95. n. 38. & 39. vol. 1. & conſ. 71. n. 41. & conſ. 74. nu. 15. & conſ. 83. n. 30. vol. 2. Barboſa l. poſt dotem, 41. num. 7. ff. ſoluto matrim. Carol. Puteus conſ. unico, n. 60.* habetur poſt conſilia *Sfortiæ tomo 1.* & *Fulvius Pacianus conſ. 132. num. 69. tomo 1.* appellat ſpem legitimæ improbabilem, & ita docet nec re, nec tempore probabili deberi. Neque obſtat *l. ſpem C. donationibus*, ubi dicitur ſpem futuræ acquiſitionis poſſe donari, quia intelligitur de ſpe probabili, & conſiderabili in jure, qualis eſt, quæ fundatur in cauſa de præſenti, vel præterito, nec dependet ex voluntate alterius, cujus bona ſperantur; ſed ex futuro eventu fortuito: hanc enim ſolam appellant Doctores probabilem. Atque ita *Gloſ. ea l. ſpem, verb. futura*, inquit, ut quia fit promiſſio ſub conditione, vel in diem: atque ita hanc ſolam ſpem probabilem, & quæ poteſt transferri, docent *Bart. ea l. poſt emancipationem, §. illud, nu. 2. & ea l. qui Romæ §. duo fratres, nu. 19. & l. ſi uxor, §. Divus nu. unico ff. de adult. Bald. eadem l. finali n. 3. Paulus nu. 2. Curt. ſenior nu. 2. & 3. Roman. nu. 10. Matth. de Afflictis eadem deciſ. 150. num. 4. Aretin. conſ. 6. num. 9. Tiraq. l. 16. connubiali, gloſſa 2. n. 36. Guillelmus Benedictus c. Raynutius, verb. ſi abſque liberis, el 2. n. 112. de teſtam. Ludovic. Gomez reg. de non tollendo quæſt. 4. n. 12. & 13. verſ. ſecundus caſus. Cephal. eodem conſ. 526.* citatus ſuprà, *Bertazzol. conſ. 55. n. 25. & 26. & conſ. 56. n. 90. lib. 1. Barboſa l. fructus, 7. n. 20. fin. ff. ſoluto matrimonio*. Quare renuncians omnibus bonis, & juribus, quæ ſperat, vel habebit in futurum, non cenſetur renunciare his, quæ ex ſpe priori, quam vanam, & improbabilem appellavimus, ſperat, ſed iis ſolis, quæ ſperat ex ſpe poſteriori, quam probabilem diximus. Sic *Bartol. ea l. ſi poſt emancipationem §. illud nu. 3. & ea l. ſi uxor. §. Divus nu. unico Bald. Paulus, Curtius ſenior. num. 4. Roman. Matth. de Afflictis, Guillelmus Benedictus* proximè allegati, *Fulvius Pacianus conſ. 132. à num. 70. uſque ad 88. tomo 1.* licèt dicat, quomodocumque ſperat habere, quia intelligitur ex cauſa de præſenti, & ita docet *nu. 76. & 77.* oportere expreſſis verbis dicere; ſi quo tempore res, vel jus ad me pertinebit, etiam ex cauſa de futuro. *Surdus* multos referens *conſ. 308. n. 29. vol. 3. & conſ. 267. à n. 20. uſque ad 24. vol. 2.* ubi hoc benè explicat intelligi, quando jure non competebat neque re, neque ſpe, ſed proveniebat omninò ex nova cauſa, quæ non eſſet eo tempore formata, neque eſſet deducta: & *conſ. 418. nu. 24. vol. 3.* dicit intelligi renunciationem juris ex cauſa de præſenti, vel præterito, non autem ex cauſa juris omninò de futuro: & tamen in propriis terminis non integrum eſſe filio, vel cuicumque alii teſtari de bonis, in quæ ſuccedere ſperat, tradit *Bertazzol. conſ. 56. n. 92. & 93. vol. 1.* & videntur tenere *Bart. l. final. 1. lectura, nu. ultim. C. de pactis, & ibi Alciatus nu. 5. Roman. n. 10. Barboſa l. poſt dotem 41. n. 9. ff. ſoluto matrimon.* ubi indiſtinctè tradunt non licere de ea ſpe diſponere aliquo modo: nam diſponere eſt propriè actus ultimæ voluntatis, ut aliis allegatis probat *Bertazzol. conſ. 56. n. 93. vol. 1. Burſattus conſ. 347. n. 19. vol. 4.* dicens quod renunciatio jurium ſibi competentium, & quæ in futuro competant, intelligitur de juribus competentibus ex cauſa de præterito, vel præſenti, non autem ex nova cauſa ſuperveniente.

9 Sed dicta *num. præcedenti* duplici limitatione intelligenda ſunt. Prior eſt, ut ſpes ſuccedendi parentibus non dicatur probabilis, nec à jure approbata eo reſpectu, ut de ea poſſit filius diſponere, dum parentes vivunt, nec conſentiunt; at dicatur probabilis, & approbata à jure, ad eum effectum ne tolli, vel diminui poſſit illud jus. Sic tradit *Alciatus l. finali, nu. 4. C. de pactis, Barboſa l. poſt dotem 41. n. 7. ff. ſoluto matrimonio*, atque ita dicit intelligi doctrinam, quam tradunt *Bart. l. is poteſt, num. 8. ff. de acquirenda hæreditate*, communiter receptus, teſte *Jaſone ibi, n. 14. Felinus, inter conſilia Ruini, conſ. 206. n. 2. lib. 1. Tiraq. de jure primogeniti, q. 40. n. 96.* ubi dicunt filium habere ſpem probabilem, & jure admiſſam ſuccedendi parentibus, juxta *l. nec ei 17. §. eorum, verſ. præterea, ff. de adoptionib.* ibi; *ne autem illorum, quos ex juſtis nuptiis procreavit, diminuatur ſpes, quam unuſquiſque liberorum obſequio parat ſibi.*

10 Poſterior limitatio eſt, ut hæc ſpes ſuccedendi dicatur improbabilis, quatenus ex ea inducitur votum captandæ mortis: unde quoties votum id non inducitur, dicetur probabilis, jureque approbata, quia eatenus ſolùm reprobatur à jure, ab ipſoque interdicitur ejus diſpoſitio, quatenus inducitur illud votum. Et conſtat quia longè minori innititur fundamento ſpes ſucceſſionis incertæ perſonæ viventis, & tamen de ea pactum inire licet, ut probabimus *num. 31.* eo quod non inducatur votum captandæ mortis: & ſimiliter idem pactum licet de conſenſu ejus, de cujus hæreditate agitur, eo quod ſimile periculum ceſſat, ut probabimus *n. 14.* & tamen hic conſenſus nullam novam probabilitatem confert, ſed ſolùm excludit periculum captandæ mortis, & ſic legis prohibitionem. Præterea huic juri poteſt renunciari in favorem ejus, cui ſuccedendum eſt, adhibito juramento, & hoc pretio aliquo recepto, *c. quamvis pactum de pactis, in 6. l. 3. §. interdum, juncta Gloſ. verb. ſollicitus, ff. de vulgari l. 1. §. ſi impuberi in fin. ff. de collatione bonorum.* Ergo pendere, vel non pendere à voluntate alterius, non mutat naturam rei, ſed tota vanitas, & improbabilitas, ac reprobatio ſpei eò ſolùm pertinet, an ex ejus diſpoſitione oriatur periculum captandæ mortis, necne: & tunc dicetur probabilis, quando id periculum deficit; improbabilis autem, quando manet. Tandem, quia neceſſario concedendum eſt, ſecluſi juris humani prohibitione, poſſe vendi, & transferri ſpem cujuſcumque futuræ ſucceſſionis, utpote quæ pretio æſtimabilis eſt, nec ullo jure prohibita vendi, atque ideo id non licet, quod jure humano interdicatur tale pactum *l. finali C. de pactis* propter periculum captandæ mortis. Ergo in tantum ea ſpes eſt improbabilis, in quantum jure reprobatur propter id periculum. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Bolog. l. 1. n. 20. & l. finali, n. 21. & 159. C. de pactis*, & citato *Fulgoſio Laderchius conſ. 133. n. 7. in fin. vol. 1.* & ideò optimè *Curtius junior ea l. finali, num. ultim.* aſſeruit ſpem hanc futuræ ſucceſſionis dici probabilem, quando ex conſenſu ejus, cui ſuccedendum eſt, pactum de ea innitur, cùm ejuſmodi pactum *ea l. finali* approbetur.

11 Quintò ampliatur deciſio *prædicta l. finalis*, ut etiam pro-